

crymas fidem Paschali addicit. Post illos Verdensis, & Gero Halberstadiensis, quorum uterque obtrusus erat Episcopus, libere jurant. At Verdunensis & Frisingensis Episcopi palam detrectando iuramentum recessere. Ad hunc modum alij vel subduxere sese, vel invitati, diversaque mente sponsonem fecere. Hillinus Trevirensis Archiepiscopus, ne in hunc scopulum incurreret, non accessit. Ast nemo constantior Conrado Salisburgensi Archiepiscopo; is licet Cæsaris esset consanguineus, palam detestans schisma, Alexandrum Pontificem veneratus est. Quemadmodum & Conradus Moguntinus Archiepiscopus ultro, ut diximus, in exilium ire maluit, deserto Archiepiscopatu, quàm Pseudopontifici se jungere; & qui Christianus Archiepiscopus in ejus locum obtrusus, is Schismaticus erat, antichristi potius, quàm Christiani nomine dignus, uti Sarisberiensis scribit. Nec Colonienensis Archiepiscopus ultra duos provinciales Episcopos suos habuit, qui jurarint; ut ægrè reperias, quinam illi XL Episcopi fuerint, quos epistola Imperatoris jactat juratè recepisse Pseudopontificem, vana potius quàm vera voce scribentis hanc epistolam. Interim Imperator publico edicto jubet omnes Præsules, Abbates, Clericos, Monachos, milites, abjurato Alexandro, Paschalem recipere; id si detrectent, omni honore, beneficio, & privilegijs excidant. Hac pertinacia mentis & insania totam Germaniam conturbavit Imperator, schismate in Principes & proceres diffuso, quorum alij Alexandrum, alij Paschalem Pseudopontificem coluere.

Utrumne Evergisus Episcopus noster Conciliabulo huic interfuerit, non reperio in annalium nostrorum memoria. Haud aliud mihi de illo statuere fas est, quàm quòd Alexandro vero justoque Pontifici, ut coepisse diximus, constanter cum suo Metropolitanò inhæserit. Vir publicis sese non multum miscens, nec aulam sectatus; sed intra diocesin suam se continens, sacris operam dando. Adhæc domesticò malo afflictus, retentusque; nam hoc anno, quod Gobelinus noster scribit: *Civitas Paderbornensis à parte occidentali ultra forum cum Ecclesia forensi, et Ecclesia S. Petri et Pauli miserabiliter igne consumpta est.* Quartum hoc incendium est urbis, quod cum civibus, tum Cœnobio Abdinghoviano funestum fuit; quando, ut alij perhibent, etiam Cœnobium cum Ecclesia SS. Petri & Pauli in cineres confedit. Quare Evergisus, pro insigni ceterorum Episcoporum caritate, Ecclesiam & Cœnobium sibi instaurandum sumpsit. Subinde ad fines diocesis profectus Evergisus opus Cœnobij Hardehusani, quod ab antecessore suo prope perfectum erat, ipse omni, qua hæctenus coeperat, diligentia & liberalitate absolvit; ac lætus eò omnem fabricam deductam esse, 18 Calend. Decembris Basilicam ac Cœnobium solemnè ritu dedicavit; quibus sacris cæremonijs simul princeps ara B. Virginis, & duo, quæ ad latera erecta erant, altaria, alterum ho-

Evergisus Ep. Paderbornensis non ad hæsit Pseudopontifici. Gobel. atat. 6. c. 60. Kerssenbroch in Evergisus. Bruschi in Evergisus. Quartum urbis Paderborn. incendium. Evergisus Ep. Ecclesiam & Cœnobium Harde-